



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Si verò.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Episcopus absoluere malitiosè recuset, tunc delegatus absoluere eum poterit.

Sed quid? si Episcopus ideo non absoluat hominem, quia dignus non est, videlicet in pertinacia persistens. Resp. Hoc casu neque delegatus absoluere potest absolute; sed vel repellere debet actorem, & Pontificem de statu causæ informare; vel, si necessitas postulet, ut causa v. g. matrimonialis terminetur, tum hominem absoluere potest ad reincidentiam, id est, tantum ad præsentem actum iudicalem exercendum, ita ut postea is in eandem excommunicationem reincidentat. Nam tali absolutione, seu potius habilitatione aut dispensatione nihil præiudicatur iurisdictioni excommunicatoris, cum quoad alia omnia, adeoque absolute, excommunicatio hominis permaneat, uti constat. Dixi autem, si necessitas id postulet: Sed, ordinariè loquendo, verum est, quod Decius hic docet not. 4. Licet testis ad reincidentiam absolui possit ab excommunicatione, in commodum partis; non tamen ipsum actorem in commodum proprium.

### §. Si verò.

Si excommunicatore per malitiam denegante absolutionem, iudices delegati excommunicatum præstita cautione, quod mandatis Ecclesiæ parebit, absoluerint; tum ad eundem excommunicatorem (si Papa specialiter alijs nõ delegauerit) pertinebit causam illam finire, & iusta præcepta imponere, quibus absolutus obedire debet. Sin autem excommunicator malitiosè differat causam illam finire, tum ipsi delegati iurisdictionem in eadem illa causa exercere poterunt: eo quod accessorium ad principale trahatur.

Casus, & dubitatio hæc est: Papa cuidam Canonico causam aliquam delegavit: Sed Reus coram delegato excepit contra Actorem, quod excommunicationem Episcopalem contraxisset. Iudex delegatus petijt ab Episcopo, ut exacta cautione parendi Ecclesiæ mandatis, absolueret Actorem. Illo pertinaciter abnuente, ipsemet delegatus ab-

solutionem contulit, cautionemque accepit. His positis, restat dubium; Vtrum Episcopus, qui excommunicarat, an verò delegatus, cui cautio præstita est, ad satisfaciendum compellere possit; Respondet Pontifex, quod excommunicator: Sin autem is noluerit, tum demum delegatus. Ratio est: Quia ad excommunicatorem per se spectat tota causa illa, ob quam excommunicatio lata est: At verò ad delegatum eadem spectat per accidens, seu ob incidenciam alterius sibi delegatæ causæ: Quod autem per se est, principalius est, quàm id, quod est, per accidens.

## CAPITVLVM XXII.

### Cùm causa.

#### PARAPHRASIS.

Innocent. III. controuersiam super decimis, quæ inter duos Archiepiscopos erat, tribus Iudicibus commisit. Vnus Archiepiscoporum ad citationem duorum Iudicum accessit, atque excipiendo proposuit, quod iudicio illorum se submittere non cogatur; partim quia cùm causa tribus commissæ esset, à duobus tantum, tertio inconsulto, neque vices suas committente, citatus fuerit: partim quia ante eorundem citationem, & literarum notitiam, nuntium ad Sedem Apostolicam propter eandem causam destinaret: quod ipsi suffragari debeat, iuxta Alex. III. constitutionem infrà de appellat. c. adhæc, 30. Sed Iudices exceptiones istas admittere nolentes, interlocutoriam sententiam protulerunt, quod dictus Archiepiscopus coram ipsis respondere teneatur. Quamobrem is ad Sedem Apostolicam appellauit. Sed eo non obstante, Iudices processerunt, atque Actorem in possessionem decimarum introduxerunt. Hoc intellecto Papa alijs constitutis Iudicibus mandauit, si ita res se habeant, sicuti narratum fuit, ut decimas Archiepiscopo, (sive per potentiam laicalem, sive per dictos Iudices spoliatus fuerat) vnâ cum fructibus

K k k k inde